



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 6. Concilii Ministri a Papa nominati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI. quomodo, & qualiter, & per quos erunt  
A. C. 1545. examinandæ.

## §. VI.

*Concilio Ministri a Papa nominati.*

*Pallav. l. 6. c. 1. n. 2. &c.* Porro Papæ Legati postulabant, ut illi, qui in Synodo munera obirent, Romæ designarentur; Patribus enim haud satis perspecta erant nomina, ac merita eorum, qui ad ejusmodi officia idonei forent, ac proin par esset, ut summus Pontifex tales viros, quorum mores atque ingenium idem optime noverat, ex aula Romana nominaret. Seligebatur ergo præprimis in Synodi Advocatum Antonius Gabriellus Jurisprudentiæ fama longe celeberrimus, cum vero corporis habitudine admodum imbecillis Tridentini aeris inclementiæ sese exponere non auderet, oblatum munus acceptare recusabat, unde ei suffectus est Achilles Grassius, patria Bononiensis: officium vero Abbreviatoris collatum fuit Hugoni Boncompagno. Equidem Papa Marcum Antonium Flaminium inter Latinos illius ævi Scriptores illustrem Synodo a secretis esse voluit, verum rursus ille hoc onus subire detrectavit, nec tamen illius repulsa Patribus displicuit, cum enim ejus doctrina Patribus esset suspecta, haud temere illum novis erroribus favere pertimesce-

ſcebant, quapropter ei ſubrogabatur Sæcul. XVI.  
A.C. 1545.  
Michael Cervinus Cardinalis S. Crucis.

Ceterum ex Patribus nonnulli querebantur, quod Pontifex ſuos ſibi Miniſtros eligendi poteſtatem Concilio adimeret. Verum horum queſtus mox ſedavit Synodi Præſes, eiſdem exponens, quod Pontifex hos Miniſtros duntaxat nominet, non autem Patres eligendi libertate privaret, ſed potius talem electionem ipsis magis expeditam redderet.

Hiſce igitur articulis ita a Præſide propoſitis Hieronymus Oleaſter Ordinis Prædicatorum Theologiæ Magiſter Luſitanix Regis nomine orationem habuit, ſimulque hujus Principis literas Patribus tradidit. Oratione, quæ haud prolixa erat, demum abſoluta, primus Patrum Legatus præſatas Regis literas die vigefima quarta Julii Eboræ datas prælegi juſſit. In hiſ inter cetera Rex hæc expoſuit: *Magnæ mihi voluptati fuit, ea vos animorum conjunctione conveniſſe ad ſacri Concilii celebrationem, ut Eccleſiæ Catholicæ præſidio ac ornamento eſſe poſſitis, certi enim ſumus, quod conſtituatis ea, quæ ad conſtituendam Chriſtianæ Religionis auctoritatem, ad reſtituendam veterem morum diſciplinam, ad totius denique rei publicæ pacem & tranquillitatem ſpectare videbuntur. Ne vero quam occaſionem prætermitt-*

Sæcul. XVI. *terem declarandæ animi mei ad eam rem pro-*  
A. C. 1545. *pensionis, Legatos isthuc meos destinavi, qui*  
*cum in apparatu suæ professionis diuturnio-*  
*rem moram mihi facere viderentur, præmissi*  
*ad vos interim tres Religiosos Fratres Do-*  
*minicanos S. Theologiæ Magistros, quos inter*  
*alios Legatorum comites a me selectos cele-*  
*rius isthuc venire volui, ut sacrosancto Con-*  
*cilio obsequii mei firmitatem patefacerent, &*  
*vobis consilii mei rationem exponerent.*

Perlectis hisce literis Cardinalis Le-  
gatus Lusitani Regis pietatem, ac fide-  
studium amplissimo prorsus elogio cele-  
bravit, privatimque Hieronymo signifi-  
cavit, quod ejus præsentia ob notam il-  
lius probitatem ac doctrinam Patribus  
admodum grata esset; quamvis autem  
hic Religiosus, usque dum ceteri a Re-  
ge nominati adventarent, tanquam Lu-  
sitanus Orator recipi petisset, eoquod  
eorum adventus longiorem adhuc mo-  
ram pateretur, nihilominus hæc præro-  
gativa Hieronymo fuit denegata, cum  
Regis literæ de ejus legatione nullam  
mentionem facerent: sancitum tamen,  
quod ei præ ceteris singularis honor tri-  
bueretur.

## §. VII.

*Altera Patrum Congregatio.*

*Pallav. l. 6. Postera Sabbati die decima nona ejus-*  
*s. I. n. 9. & 10* *dem mensis altera habebatur Con-*  
*gre-*